



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt II. Examinata & approbata vocatione, quid agendum sit de filijs & uxore Catechumeni.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38601

pietati, si autem ex Saracenicis, seu Mahometicis Infidelitatis secta fuerit, præcipue curandum est, ut non solum eidem sectæ expressè abrenuntiet, sed ipsi etiam Pseudoprophete Mahometo, eumque ut in ipsum hominem & seductorem detestetur. Et demum, si ex quacunq; hæresi ad Catholicam fidem veniat, ac nondum rectè baptizatus sit, dictæ hæresi abrenuntiet, illamque, & omnem aliam detestetur & anathematizet.

18. Clem. ubi proximo, & S. Thom. in 3. p. q. 68. a. 4. & a. 8. 2. S. Clem. eod. c. 38. & Conc. Eliber. c. 61. Tom. 1. Conc. 3. Idem S. Clem. ubi sup. & Conc. Eliber. a. 10. & c. 44. & cap. 68. 4. S. Clem. ut. cap. 38. 5. S. Clem. d. c. 38. Caus. Eliber. c. 73. & habetur 5. q. 6. cap. De-lator. 6. Idem S. Clem. d. cap. 38. Luc. 3. 7. S. Clem. eod. cap. 38.

Cum vero existentes in peccato mortali, vel in peccandi proposito permanentes, nequaquam baptizari debeant; 2. Augures, Divinatores, Magi, Sortilegi, Malefici, & Incantatores, in Catechumenos non recipiantur, nisi Diabolicis ejusmodi artibus prius abrenuntient, atque eorum execrabiles libros, & instrumenta corrumpant, destruant, atque comburant, qui etiam tempore probandi sunt; Ita nec Mimi, Histiones, aut Parasiti, qui ad libidinem & peccata provocant, nisi vanas has artes deserant. Neque 3. meretrices nisi meretricium; nec 4. lenones, nisi lenocinium deserant. Nec adulteri, fornicatores, aut concubinarij, nisi adulteras, scorta, vel concubinas ejecerint, aut dereliquerint. Neque 5. feneratoros, & Usurarij, nisi à fenore, & usuris penitus desistant; & illas, ac malè acquisita quæcunque restituant, aut saltem restituere proponant, cum certâ personâ extant, quibus restitutio faciendâ est. Neque 6. alij scelesti, & nefarij homines admittantur, nisi sua scelera detestentur, atque sinceræ penitentia signa ostendant.

Si is, & qui ad fidem venit servus fuerit, quaeratur ab eo cujus Domini sit; ac si viri fidelis servus sit, & domini testimonio commendetur, recipiatur; sin minus, in eo recipiendo cautius agatur. Si vero servus fuerit alicujus Infidelis, recipiatur quidem, sed deinde instruat quemadmodum serviat & placeat Domino suo, ne Christiana Religio inter Infideles blasphemetur.

Si fuerit miles qui accedit, doceatur nemini injuriam facere, 7. neminem percutere; non calumniari, contentum autem esse stipendijs suis; neque etiam contra Christianam, aut Catholicam fidem, aut ejus propugnatores militare; si parere noluerit, rejiciatur.

Invigilet autem potissimum Sacerdos, ne quis simul et se velle fieri Christianum, ut sub conversionis prætextu, aliquem ex catechumenis subvertat, & à fide seducat.

C A P V T II.

Examinata & approbata vocatione, quid agendum sit de filijs & uxore Catechumeni.

Post hæc si talem invenerit esse eum, quem oportet, qui fidem expetit, & in proposito permanere; faciat ut is coram Norario, & testibus 8. det nomen suum declarans voluntatem suam, atque profertens se sponte Christianum fieri, & Ecclesiæ mandatis parere velle, ac si liberos habeat, aut alios suæ curæ commissos infantes, seu rationis usum non habentes, si illos Ecclesiæ offerre, quandoconque illa voluerit baptizandos, etiamsi ipsum à sancto proposito, quod absit deficere contingeret.

Quod si habuerit uxorem, aut liberos, sive alios similiter suæ curæ commissos, in discretionis ætate constitutos, sive majores infantibus, sive proxi-

Thom. à Jesu Oper. Tom. I.

mos pubertati, sive etiam puberes, minores tamen 25. annis, qui adhuc de suscipienda Christi fide non delibera verim, ij ab Infidelium cohabitatione, & consuetudine amoveantur, & apud fideles Christianos moribus & vita probatos, se juncti ab invicem in domo aliqua, vel alio loco tuto sequeantur, quo Infideles quicunque accedere, aut ipsos quovis obtentu alloqui prohibeantur, sed ibidem à Presbyteris, & Religiosis personis sæpe visitentur, eisque veritas fidei Christianæ, ex Scripturis sanctis, ex Religione ipsius Sanctitate, & miraculorum gloria aperiat, & prædicetur.

Super hujusmodi autem de suscipienda fide deliberatione, non est præfiniendum certorum, aut quadraginta dumtaxat dierum spatium: cum enim ad conversionem prolixiore tempore plerumque opus sit, eorum judicio ac prudentiæ, qui in illorum conversionem incumbunt, relinquendum est, ut pro eorumdem dispositione, longiori, aut breviori eos tempore detineant, prout secundum DEUM viderint expedire. Quod si interim convertantur, & declaraverint se Christianos fieri velle, tunc ab hujus declarationis die numerandi sunt quadraginta penitentia, seu instructionis, ante baptismum dies, aut plures, prout ad eam suscipiendum idonei censebantur, ut & infra dicitur.

Si antequam convertantur aliqua signa, seu indicia proximæ conversionis dederint, quamvis aliquam diu sic detenti fuerint, non facile postulantibus, aut urgentibus penitentibus, aut consanguineis, dimittantur, sed adhuc per aliquot dies retineantur, quoad de eorum salute bene sperari potest.

Dum autem sic ad conversionem detinentur, præsertim qui Judæi sunt, legitima sua, & cetero minias servate non prohibeantur, dummodo non propter Pascha, nec propter alias supervenientes solemnitates legales, ad Infideles redire, aut Infideles ad ipsos accedere permittantur, sed si ea servare voluerint, domi, ubi detinentur, soli serventur, sed si ea servare voluerint, domi, ubi detinentur, soli serventur, sed si ea servare voluerint, domi, ubi detinentur, soli serventur. Ita tamen ut nec azyma, neque alia edulia prohibita à Christianis, eis administrentur. Et interim ex scripturis Prophetarum ipsis ostendatur, ad ea servanda Judæos amplius non teneri, quodque hujusmodi observationes legales Messia adventu, vel ut umbra exortiente sole evanescere debebant, & evanuerunt. Ceteris autem cujuscunq; sectæ Infidelibus, ex ipsius sectæ falsitate, cetero minias illas impias & inanes esse superstitiones, quibus alligatos eos Satan in errore detinet, demonstratur. Proponaturque eis verus DEI cultus in Spiritu & veritate; nam & tales vult DEUS cultores, qui in Spiritu & veritate, non in mendacijs & erroribus colant & adorent eum.

Dum etiam sic detinentur, nulla eis, ut ad fidem convertantur, vis aut injuria inferatur, neque durè aut asperè, sed humaniter & benigne tractentur, ac eis omnia necessaria largitur admittentur. Quin & ab eis, cum omni benignitate, mansuetudine, & charitate potius voluntas exquiratur, quam coactè extorqueti videatur.

Uxor conversi, si post omnem adhibitam diligentiam ad fidem venire noluerit, sed obdurata infidelitate permanerit, dimittatur: caveat autem vir, ne ei unquam libellum repudij secundum legem Mosaicam tradat; alioquin si id faceret tantam quam judaizans puniri deberet. Neque cum ea cohabet, propter periculum subversionis fidei, & blasphemia ac contumelia in Creatorem; nisi propter spem, & certa indicia futura conversionis uxoris, Prælati sincera Mariti fide & ita-

Papa 9. Dicit. cap. Ex li- tri u de convers. Infa. Concil. Tol. 2. 6. 14. tom. 2. Conc. Tol. 4. c. 62. quod habetur 28. q. 1. c. Judai. 2 Citat. c. Judai ex Conc. Tol. 3 Conc. Tol. 4. c. 59. & ha- betur 28. q. 1. cap. Judai.

litate confusus, id ei ad tempus judicaverit conce- dendum. Quod etiam servandum erit, si uxor conversa fuerit ad fidem, & vit permanferit infidelis.

Neque i filij infantes, aut lactentes apud matrem, quæ a viro fidelis decesserit, relinquuntur, propter periculum; ne eorum scilicet saluti, aut vitæ infidietur, neve eos educando ad infidelitatis errorem adducat; sed sub patris conversi, aut eorum, qui Catechumenis præstant, cura sit, ut apud mulieres Christianas non suspectas alantur, acque in fide educentur.

Si autem uxor convertatur ad fidem, & vit maneat in infidelitate, ipsa quoque dabit nomen, & coram Notario, & testibus (e 2 Christianam fieri declarabit, ac filios, & alios, si quos habet suæ curæ relictos, infantes, seu nondum usum rationis habentes, Ecclesiæ, ut supra offeret baptizandos.

Qua quidem declaratione facta, statim filij & alij prædicti, opportuna adhibita cautela, & auferantur à patre vel alijs infidelibus, & apud eam, vel in domo Catechumenorum, vel alibi apud Fideles educentur, ac fidei mysterijs, quantum per ætatem licebit, initientur, atque una cum matre, cum oportu fuerit, baptizentur.

Lactentium vero puerorum ratio, & diligens cura habeatur, ut propter ætatis imbecillitatem, ac periculum eorum Baptisma non differatur, sed citius etiam ante matrem ipsam, baptizentur.

Minores etiam filij, alijsque illius curæ concre- diti, in eadem sequententur, ut eorum de fide suscipienda voluntas exploretur, quemadmodum viro veniente ad fidem faciendum esse superius dictum est.

Pueri autem, qui parentibus infidelibus sunt orbi, si consanguineos proximiores ex linea paterna, vel materna Christianos habeant, veluti fratrem, sororem, patrum, amitam, avunculium, materteram, aut alium ulterioris gradus masculinum, vel feminam, apud eos gradus tamen inter ipsos Fideles prærogativa servata, educentur, & baptizentur.

Denique illud generaliter servandum est, ut in pari gradu, favore fidei, nulla habita sexus ratione, potior sit conditio consanguineorum Fide- lium, quam infidelium; ita, ut verbi gratia, amita vel matertera Christiana, patrui, aut avunculo Judæo, aut alterius sectæ infideli, semper præferatur.

Ad hæc pueri in septimo, vel circiter, ætatis anno constituti, qui se usu rationis pollere ostendunt, ad fidem sponte venientes, recipiantur inter Catechumenos, & aliquam diu probentur; eorum- que voluntas coram Episcopo, vel personis non suspectis, si parentes eorum infideles urgeant, aut ipsorum conversioni contradicant exploretur.

4 Citat. cap. Ju- daeorum 28. q. 1.

Qui si in proposito permanferint, 4 nullo modo illis reddantur, sed baptizentur, & in Christiana piera instituantur.

Si fide dignorum testimonio, pueros hujus- modi, aut aliquos adolescentes, vel puellas, vel alios quoscunque fidem expetere, & à parentibus prohiberi, vel propinquis, aut propterea domi in- clusos teneri, vel quovis modo impediri constite- rit, ab eis abducantur, & in domo Catechumenor- um, aut alio tuto & honesto loco sequententur, ubi in fide instruuntur, & ad eos non permittantur accedere infideles, neque alia quævis suspectæ persone.

Mulieribus etiam quæ Christianam fidem sus- cipere cupiunt, sed ob parentum, vel consanguineorum Infidelium timorem, vel reverentiam, aut

ob femineam verecundiam non audent domo egredi, aut accedere ad Ecclesiam, & declarare se velle fieri Christianas, si per litteras, aut in eorum- que, aut alio quovis modo, suam voluntatem indica- verint, auxilium afferatur, & de propria domo, etiam si tunc, ne se prodant suis, aut alia de causa, teneant vel reclamant, s' amoveantur, & in domum Catechumenorum, aut in alium tutum & honestum locum doceantur, ubi apud pias & honestas personas reneantur, & explorata deinde atque competita eorum libera voluntate susci- pienda fidei, in ea diligenter & religiose instruan- tur.

CAPVT III.

De habitu, quo sunt induendi Cate- chumeni, & de loco ubi sunt in- stituendi, & de tempore Catechesi necessario.

Postquam igitur aliquis ex Infidelibus venerit ad Ecclesiam, Baptismi gratiam petens, ac no- men dederit, seu suam declaraverit voluntatem, ut supra, & Sacerdos DEO, quod istum ad se vocave- rit gratias agat, & oret, ut dirigat voluntatem ejus, & oculos cordis illuminet, ad intelligenda mira- bilia sua & judicia justitiæ suæ, ut odio habeat om- nem viam injustitiæ, & ingressus viam veritatis idoneus fiat lavatio regenerationis, in adoptione filioi UM DEI, & in libro viventium connum- meretur. Et mox faciat ut capitis regumentum, siye aliud signum, quod ad distinctionem Chri- stianorum deferebat, abiciat, & habitum induat quem Fideles solent. Tum eum ad domum, ut ab- renuntiet Diabolo, & omnibus ejus operibus, fraudibus, & machinationibus, ac omni impieta- ti, &c. & credat in DEUM Patrem omnipotentem, & in JESUM Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, & in Spiritum sanctum, unum DEUM in trinitate personarum. Postea exufflet ab eo sævam maligni spiritus potestatem, dicens (Exi ab eo spiritus immundus, &c.) & 10 Crucis signet eum in fronte, & in pectore dicens: (Ac- cipe signum Crucis tam in fronte quam in corde, &c.) & imponat manum super eum, & 11 dica- tur aliquam orationem. Ac deinde 12 introdu- cat in domum Catechumenorum, & inter Ca- techumenos Ecclesiæ adnumeretur, & in libro des- cribatur.

In ea autem domo 13 Sacerdos catechizet eum divinis sermonibus, & det ei monita salubria quemadmodum post agnitam veritatem vivere debeat, & 14 sapius exorcizet aliquibus exorcis- mis.

Domus autem Catechumenorum in præcipuis urbibus, & insignibus oppidis, ubi Judæi, alijsque Infideles habitant aut commorantur, institui de- bet, cui viri Religiosi, & exploratæ fidei in recto-

res, 12 S. Clem. l. 2. recogn. in suo. S. Basil. ser. 1. de Baptis. p. 2. 13 Liber Sacramentorum Vatic. M. S. & ordo Rom. M. S. Achil. statij. 14 Raban. cit. c. 27. de Conf. dist. 4. c. Dehinc. Et S. Antonij. ubi sup. S. Sicutum PP. in epist. ad Himerium, Tarrac. c. 2. tom. 1. Conc. Calis. PP. 1. ep. 1. ad Episc. Gall. c. 12. eod. tom. 1. Conc. S. Leo PP. in epist. 4. ad Episc. per Siciliam constitutos cap. 6. & epist. 80. alias 78. ad Episcopos per Campaniam, &c. eod. tom. 2. Concil.

1 Cyril. Hieron. re- professione a- in Con- ve- chif. Pr- 2. Clem. Cl- La. magis de- in fa- q- qu- 4. c. ho- in- 18. r- co- 2. sa- 3. S. Ser- ver- 4. in q- ad- 5. Divi- de Eul- 6. Hic. 2. 7. fac- 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.